

admirari nequeant, vnde tantum stupiditatis ac frigiditatis contraxerint. Verum si quando versis vicibus, calamitatibus premi cœperint, tum demū ad orandum & vociferandum excitantur. Contrā impij plerūq; dum prosperē habent, plurimi sunt in orationibus: vbi verò adfliguntur, vel ad creaturas confluunt: vel, si non succedat, desperant.

*Veniat in conspectum tuum oratio mea.]* Noteimus hoc loco discrimen inter eos qui non seriō, sed vel *OBS. 3.* per hypocrisim, vel quæstus gratia, & eos qui seriō & ex animo, adflicti videlicet & angustiati orāt. Illi nequaquā hoc petunt, vt quod orant, vel orare videri volunt, in conspectum & aures Dei ascēdat: sed hoc magis expetunt, vt conspicui sint hominibus, quorum rumusclos aucupantur. Qui in Ecclesijs quæstus gratia canunt, quid quæso aliud cupiunt, quām vt voces ipsorum mortalium aures demulceant? At isti nihil minus quærunt, quām vt ab hominibus inter orandum cōspiciantur: sed vnum hoc curant, & obnoxē petunt, vt quæ orant & vociferantur, in conspectum Dei veniant, & auribus illius percipientur. Scιunt enim in hoc vno salutem consistere, si propitium Deum inueniant, qui orationes miserorum & adflitorum non respuat, sed placatis ac beneolis auribus exaudiat. Ideo Propheta hīc non dicit, *Per diem clamo coram hominibus, & veniat oratio mea in conspectum hominum, & clamor meus in aures illorum: sed, Per diem, inquit, clamo, & nocte coram te.* *Veniat in conspectum tuum oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.* Coram Deo orat, & huius conspectum & aures ambit, mortalium conspectum & aures magis fugiens, quām expetens.

## ALTERA PAR.

3. *Quoniam saturata est malis anima mea, & vita mea sepulchro appropinquauit.*

4. *Aestimatus sum cum descendantibus in foueam, factus sum sicut vir sine robore.*

5. *Inter mortuos liber, sicut imperfecti, iacentes in sepulchro, quorum non est memor amplius, & ipsi à manu tua abscessi sunt.*

Illud, *Et vita mea sepulchro appropinquauit.* *] Ebr. est: רֹאשׁוּר לְשָׂאָרֶל הַגִּיעָר:* id est, *Et vita mea sepulchro appropinquauerunt.* Poterat redi: *Et vitam meam sepulchro adduxerunt: mala videlicet, quibus animam suam saturatam dicit.*

*Sicut vir sine robore.* *] Ebr. est: בְּבָבֵר אֵין אִיל.* Græcus reddidit: ὡσὲ ἀνθρώπος ἀβούθητος: id est, *Sicut homo sine adiutorio.* Quem & Arabs sequutus est, dicens: *Sicut homo, cui non auxilium ei.*

Illud, *Sicut imperfecti:* *] Ebr. est: בְּכַמְרָחָלָי:* id est, *Sicut vulnerati, quemadmodum & Græcus reddidit.* Verū quoniam mox subiungit: *Dormientes in sepulchro,* malū cum Chaldeo & Hieronymo redere, *Sicut imperfecti.*

Hinc ad fine in usque Psalmi Propheta querelas suas in conspectū Dei effundit, ita vt partim de *EXPLA-* B *malis extrinsecus illatis, partim de animi consternatione & terroribus queratur.* *Quoniam saturata NATIO,* est, inquit, *malis anima mea.* Loquitur ista de malorum: id est, rerum tristium, tam multitudine quām *Vers. 3.* diuturnitate, quibus abundē sit oppletus. Vnde & vetus habet: *Quia repleta est malis anima mea.* De his ideo subiungit, vt rationem clamoris suu reddat. Arbitror autem eum non solū de præsentibus malis, quibus cūm Psalmum hunc componeret, adfligebatur, sed de alijs quoque, quibus annos aliquot iam antea exercitatus & probatus fuit, quorum irremissa successione animam suam exatu, ratam esse dicit.

*Et vita mea sepulchro appropinquauit.* Significat his verbis cum sequentibus, eosq; progressum esse morbi malum, vt in discrimine vitæ constitutus fuerit, ita vt iam sepulchro destinatus videretur. Vnde & vers. 4. subdit, dicens: *Aestimatus sum cum descendantibus in foueam, factus sum sicut vir sine robore.* Non dicit, *Sum iam in fouea: sed, Aestimatus sum, velut unus ex illis qui in foueam:* id est, in sepulchrum, descendunt: *factus sum sicut vir sine robore:* id est, destitutus sum, & exhaustus omnibus viribus. Significat, eos usque morbo se fuisse confectum, vt visus sit nihil ab illis differre, qui sepulchro iamiam morientes appropinquant.

Illud, *Inter mortuos liber,* et si obscurius dictum est, ex sequentibus tamen satis declaratur, nimirum quod propè futurum dicat, vt inter mortuos constitutus, ab omnibus huius vitæ commercijs liber sit. Ideo addit: *Sicut imperfecti, dormientes in sepulchro, &c.* vt indicet se ferē omnibus huius vitæ rebus exutum, illis esse consimilem, qui iudicio Domini, quod hīc manū Dei vocat, morti traditi, in sepulchris ita sunt abditi, vt nulla amplius illorum supersit memoria. Et ferē ita accedit, vt etiam magni ac illustres viri, si quando diuturno ac graui morbo decumbunt, haud absimiles illis habeātur, qui iam in monumentis iacentes, etiam coram Deo, nedum inter homines, obliuioni esse traditi videātur. Ob hanc causam se nō quibusuis mortuis, sed illis qui gladio in bello cadunt, assimilat, qui potissimum præalijs, cūm propter multitudinem cæforum, tūm propter contemptum obliuioni traduntur. Poteſt etiam ob id videri comparare se gladio violenter cæsis, vt significet morbi violētiam, quā non sensim diuturna aliqua infirmitate, sed subito & raptim morti sit factus vicinus.

*Quoniam saturata est malis anima mea.* Quas hic Psalmus querelas habet, ob eam dubio procul sunt *OBS. 1.* congeſtæ causam, vt animus & affectus egrotantium ac grauiter decumbentium, hac veluti imagine exprimantur. Qua in re infirmis conscientijs omnino seruit Spiritus sanctus, vt in similibus tentationibus discant, quomodo se gerere debeant: & quām tales querelæ non sint à viris pijs alienæ, vt vt sint humanis affectibus refertæ. Videamus igitur qua de re singulis locis queratur Propheta. 1. *Quoniam saturata est, inquit, malis anima mea.* Non dicit, *Quoniam adfecta est: sed, Quoniam saturata est malis anima mea.* Exprimitur hac querela, quomodo cōparatus sit animus adflictus in eo primū, quod malis citō saturatur. Cibus enim hic admodum iniucūdus est. Vsq; adeō corrupto sumus ingenio, vt res prosperas quoq; si diuturne sint, egrē feramus, ita vt subinde non usque adeō tergiuersatur